

tur, eam subsequente aue rubra. Spiritualiter igitur coruum primum extingue, vt colores omnes emergant, monoceros vero requiescit, Luna corporali existente, viam Regi præparat, argentum candidum emergit. Rex hoc subsequitur, ruber, solitarius adhuc, sed purissimus, quod si eundem cum matre ipsius per omnia regna deduxeris, pretium eius in decuplum multiplicabitur, & fratribus suis diuitias commodaque infinita præstabit.

Felix, terque quaterque beatus qui huius artis plenariam cognitionem est affectus.

DECLARATIO ET EX- PLICATIO ADOLPHI.

Postquam Ego Adolphus ex consuetudine pariter, & animi cupiditate iter Romam versus institueram, vt artium secreta penitus indagare possem, nocte quadam diuersorio exclusus, virium imbecillitate coactus, & somno aggrauatus, cum per totam diem tempestatum imbribus debilitatus maxime fuisset, specum quãdam subterraneam ingressus sum, quarum quidem Romæ magnus numerus, oratione itaque ad Deum Opt. Max. fusa, auxilium eius implorans, ieiunus & somnolentus obdormii. Ob loci vero incommoditatem media nocte expergefactus, specus, diuersorij mei, incommoda considerans, mirabilia opera DEI Opt. Max. animo voluens, afflictionesque ac ærumnas humanas, attentius examinans, tandem etiam secreta illa & opus Philosophicum exactiori lance trutinans, strepitum quendam in specu mihi exaudire videbar, qui tamen eodem fere momento conticescebat, hinc magnus metus animum meum inuasit, & anxius hærebam, num dæmonum præstigiarum, aut hominum latrunculorum insidiarum essent, DEI
I 2 itaque